



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

503. An visitare possit exemptos & in specie monasteriæ monalium
exemptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Questio 502. Per quem Capitulum visitare possit diocesim?

1. Resp. primò posse Capitulum per se, seu constitutum à se Vicarium suum generalem visitare diocesim indubitarum videtur.

2. Resp. secundo, posse hunc ipsum Vicarium Capitulum visitare diocesim absque eo, quod id ipsum ei specialiter à Capitulo sit commissum, tradit Barbof. *loc. cit. n. 68.* ut ex sententia S. Congregationis ait resolutio Garciam in addit. p. 5. c. 7. n. 29. Ventrigl. *loc. cit. §. 2. n. 47.* supponere id ipsum videtur A. A. illi, qui docet non posse Capitulum deputare visitatorem sine Vicario suo; sed hunc à Vicario Capitulari constituendum. Quiaimo tradit expressè Card. de Luc. ad Trident. d. 5. n. 27. non posse Capitulum Vicario hanc facultatem interdiceret, eamque sibi reservare, ut eam uni, vel pluribus delegeret. Negat tamen id ipsum Rebuff. in pr. benef. rit. forma Vicariatus. n. 101. hisce expressis: ex generali mandato Vicarius Episcopi visitare non potest, sicut nec Vicarius Capituli; ideo opus est speciali concessione. Item negat Sbroz. l. 2. c. 120. num. 5.

3. Resp. Tertio posse quoque Capitulum ad hoc munus visitandi deputare particularem, vel generalem visitatorem (intellige præter seu alium à Vicario suo generali) tenet Barbof. *loc. cit. n. 69.* in fine citans seipsum de off. & potest. Episc. p. 3. allegat. 133. n. 9. Ventrigl. *loc. cit. §. 1. n. 21.* in fine citans Meroll. tom. 3. c. 7. n. 49. Garc. p. 5. c. 7. n. 27. Verum num talem visitatorem deputare possit per se absque Vicario suo, non videtur convenire A. A. non posse id Capitulum sine Vicario suo, sed, si opus visitatore, debere eum constitui à Vicario Capitulari, tenet Garc. *loc. cit.* sic dicens velle S. Congregationem, & ex Garcia Fagn. in c. his que. de major. & obed. n. 75. Quamvis addat Garcias, hoc non videri receptum in Hispania, ubi semper Capitula fede vacante nominant visitatores.

Questio 503. An Capitulum sede vacante visitare possit exemptos, & sedi Apostolicæ immediate subjectos, & in specie monasteria monialium exempta?

1. Resp. in hoc non convenire A. A. nam affirmativam tenent Barbof. l. 1. jur. Eccl. c. 32. n. 107. inherens doctrinæ traditæ à Molin. *loc. paulo post citand.* Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 19. citans Tambur. de iure Abbatiss. d. 23. q. 4. n. 4. Pellizar. de regim. monialium. c. 10. n. 6. Item apud Dian. *loc. cit. resol. 14.* Rodriq. qq. regular. tom. 1. q. 6. a. 9. Cenedo. qq. can. q. 26. n. 28. Monet. de commut. ult. volunt. c. 5. n. 423. Molin. de just. tom. 6. tr. 5. d. 11. n. 2. cujus ferè verba, quia & rationem, seu fundamentum hujus sententiæ continent, subdo: dicerem, attendendum esse, num muneris Episcopali aliquid jurisdictionis tanquam sedis Apostolicæ delegato in perpetuum committatur, ut ex officio Episcopi deinceps competat. Atque tunc dicerem, eam jurisdictionem transire ad Capitulum sede vacante, nisi aliquid opponatur, unde colligatur, contrarium fuisse intentum Concilii, aut summi Pontificis id statuentis, cum enim perpetuò ei muneris annectatur tanquam pars jurisdictionis ejus muneris; idque non in bonum, & tanquam privilegium Episcopi; sed in bonum eorum, in quos ea jurisdicção exercetur, aut in bonum aliorum & ecclesiæ, censendum est

eam partem jurisdictionis in eum transire, in quem episcopalis reliqua jurisdicção transit, ac proinde transire in Capitulum sede vacante. Atque in re posita quis dubitet, quomodo concilium Tridentinum. *sess. 24. c. 9. de regular.* Sic statuit: *monasteria S. sedi Apostolicæ immediate subjecta, etiam sub nomine Capitulorum S. Petri vel S. Joannis, vel aliis quomodocunque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque.* Quis inquam dubitet, eam jurisdictionem transire ad Capitulum sede vacante? Neque enim mens Concilii fuit, ut toto tempore sedis vacantis five per mortem Episcopi, five per illius captivitatem moniales illæ careant gubernatore: neque id rationi esset consentaneum. Unde per episkiam censendum non est, id Concilium non intendisse, ita Molina. Eandem rationem urget Moneta, quòd nempe jurisdictionem concessa Episcopo tanquam sedis Apostolicæ delegato, cum sit perpetuò annexa dignitati episcopali, non sit propriè delegata sed ordinaria, pro ut id colligit ex c. ad abolendam. de Hæret. juxta clem. 1. titulo eodem. siquidem quod in c. concessum erat Episcopo, ut autoritate apostolica contra exemptos in causis hæresis procedat, in dicta clementina simpliciter concedatur tam Episcopo quam Capitulo sede vacante, & nulla fiat amplius mentio de Apostolica autoritate, quasi jure ordinario id utrique competat. prout idem confirmat Moneta ex eo, quòd cum à Canone ea jurisdictione tribuatur Episcopo, jam de jure communi, non autem speciali ei competat, non obstante, quòd in ea concessione fiat mentio delegationis, argumento c. licet in corrigendis. de off. ordinat.

2. Resp. contra sententiam negativam tenent apud Garciam. p. 5. c. 7. n. 45. Pavin. p. 1. q. 7. & de visitat. p. 2. n. 32. Abb. in c. cum olim de major. & obed. n. 2. Felin. n. 3. Rotam. in Bingeni procuracionis 10. Martii 1597. ubi fuerit resolutum, Capitulum sede vacante posse visitare monasteria monialium non exempta; non verò exempta, quibuscum sentire videtur ipse Garcias, & non solum eorum sententiam referre, ut ait Ventrigl. *loc. cit.* Item tenent eam Pirh. ad tit. de major. & obed. n. 48. & absolutè Dian. *loc. cit. resol. 14.* citans Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 5. Federic. de Sen. conf. 291. Card. Tusch. tit. G. concl. 56. n. 50. Ricc. in pr. tom. 4. Resol. 563. Prosp. de August. in addit. ad Quarant. v. capit. Zipzum, tom. 1. consultacionum l. 3. de censib. conf. 1. Baunium theol. mor. tom. 1. tract. 11. q. 24. Azor. p. 2. l. 3. c. 73. q. 15. (ubi tamen is non nisi pro utraque sententia refert A. A.) Barbof. de potest. Episc. c. 73. n. 25. quamvis is, ut dictum paulò ante, potius sentiat cum Molin. & alios. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd in casibus, in quibus conceditur Episcopis (etsi in perpetuum) ut procedat tanquam sedis Apostolicæ delegatus, non sit facultas, seu jurisdicção ordinaria, adeòque non transeat in Capitulum. Dian. *loc. cit.* Hoc ipsum fundamentum à nobis fusè deductum ex Fagn. & Pirh. vide supra, ubi num Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione ordinaria. Ex quo fundamento etiam facilè solvuntur ab adversariis adducta in contrarium. Nempe ad primum dicitur: licet jurisdictione perpetuò annexa dignitati censeatur ordinaria, dum conceditur à canone vel Papa (qualiter ex Trident. *sess. 24. c. 6.* conceditur ad dispensandum in aliquibus irregularitatibus, & ad absolvendum à casibus pontificiis occultis) secus tamen sit, dum conceditur cum illo addito; quòd

eam

eam concessionarius exerceat tanquam sedis Apostolicæ delegatus, quod additum aliàs esset superfluum. Dian. *loc. cit.* nisi forte addita quoque esset particula etiam, utpote quæ implicat jurisdictionem quoque ordinariam, ut dictum à nobis supra *loc. cit.* ex Fagu. Ad secundum dicitur pari modo Capitulum sede vacante non posse cognoscere de causa hæresis, quò ad exemptos; cum non nisi potestate sibi delegata per *c. ad abolendam. de Hæret.* seu tantum tanquam sedis Apostolicæ delegati hæc faciant Episcopi, neque enim dicendum (ut vult Monet. & ut non rectè admittit Dian.) hæc dein facultatem, seu jurisdictionem tam Episcopis, quam Capitulo sede vacante concessam ut ordinariam: quippe sine ulla amplius mentione facta de autoritate Apostolica, seu ut procedant tanquam sedis Apostolicæ delegati per *Clem. 1. de Hæret.* non fiat ulla mentio exemptorum. Ad tertium dicitur, quod loco confirmationis additur; dicendum, quòd licet Episcopi habeant illam facultatem visitandi exemptos à jure communi, habeant tamen eam à canone non tanquam ordinariam, sed ut delegatam. Dian. *loc. cit.* nam tam à jure communi, seu canone, quam Concilio concedi potest jurisdictione delegata, & non omnis jurisdictione concessa à jure communi est hoc ipso statim ordinaria. Ad quartum, nimirum quòd rationi consentaneum non sit, adeò que intentio Concilii non fuerit, ut moniales exenpta toto tempore sedis vacantis careant gubernatore, nec habeant, ad quem recurrant, & à quò, si necessarium, visitentur. dicendum, quòd ingruente necessitate, quæ dilationem, aut recursum ad sedem Apostolicam non patiatur, posse tam quò ad exemptos tam in negotio visitationis quam alto, de quo agitur, procedi à Capitulo sede vacante, pro ut sententiam hæc negativam limitant Cuchus. l. 2. *instruat. major.* & alii apud Dianam *loc. cit.* & quidem jurisdictione ordinariâ; quippe in casibus urgentis necessitatis intrat jurisdictione ordinaria Capituli, non secus ac eaintrat & ex ea procedere possit Episcopus, licet nullam potestatem delegatam haberet. Dian. qui etiam in fine *citat. resolut. 14* ex Baunio addit, admonendum à Vicario Capituli Papam de re integra, & si intra semestre à literis ad eum datis malo non succurratur, cum videri, honestam rationem habere Capitulum animadvertendi in fontes. quòd si (quod ut ait, existimat verius) facere id non potest, res videtur committenda Deo, aut ad novum Episcopum adventum remittenda.

Questio 504. An igitur possit Capitulum sede vacante concedere monialibus exemptis, & Papa immediatè subjectis licentiam exeundi monasterio in casu urgentis necessitatis?

R Esp. si lubet inhære jam immediatè ante traditis, posse id Capitulum sede vacante, ubi necessitas est gravis, quæ recursum ad Papam non patitur, si enim id in eo casu potest Episcopus, non tam potestate & jurisdictione delegatâ quam ordinariâ (quæ, ut dictum paulò antè, intrat in casu urgentis necessitatis) poterit id ipsum Capitulum, utpote in quod transit potestas Episcopi ordinariâ. Ita tenet Dian. *cit. resolut. 14.* citans Tho. Sanchez. tom. 2. sum. 1. c. 15. n. 30. & addens rationem, quia monasteria hæc non debent esse absque Prælato, ad quem in casu necessitatis confugiant. Quomo-

do verò id sequatur ex dictis, & cum illis cohæreat, quod ibidem quoque ex Sanchez ait Dianat posse Capitulum sede vacante concedere licentiam monialibus egrediendi monasterio in casibus permisis in Bulla Pii V. quæ incipit: *Decoris & honestati.* quam vis id pertineat ad Episcopum tanquam sedis Apostolicæ delegatum, id inquam, non video; cum quæ delegata tantum sunt jurisdictionis, ab Episcopo ad Capitulum non transeant juxta dicta ab ipso Diana. *quest. preced.* Multò minùs subsistit & dictis convenit, quod tradit Baunius. *theol. mor. tom. 1. tract. 11. q. 24.* apud Dianam *loc. cit. resolut. 39.* nempe posse Capitulum sede vacante monialibus immediatè subjectis Papæ dare licentiam egrediendi claustrum ex causa; quia Vicarius Episcopi eandem cum eo jurisdictionem habet: at Episcopo competit jurisdictione delegata in moniales exemptas quò ad egressum è claustrum juxta Trident. *sess. 25. de regular. c. 9.* & Capitulum sede vacante vices agit Episcopi mortui: ergo hæc ab eo sede vacante facultatem egrediendi domo ex causa impetrare poterunt, cum esse non debeant sine Prælato, ad quam confugiant, hæc inquam non cohærent cum dictis *quest. preced.* ex parte tenentium sententiam negativam, nam juxta *ibi dicta*, etsi Capitulum suo modo dicatur Vicarius Episcopi, non tamen in illud transeunt, quæ is ex pura delegata facultate, & jurisdictione potuit. Proinde & ipse Diana *cit. resolut. 39.* rejicit hæc Baunii doctrinâ concludit: sed hæc opinio non est admittenda stantibus declarationibus S. Congregationis.

Questio 505. An Capitulum sede vacante dare possit licentiam ingrediendi monasteria monialium?

R Esp. Affirmativè. Dian. *loc. cit. resolut. 49.* citans Pellizar. *tract. de monial. sess. 5. n. 148.* ubi ex Suarez probat, sub nomine Episcopi in verbis Concilii *sess. 25. c. 5. de regular.* (ubi id concedit Episcopis) venire etiam Capitulum sede vacante, & consequenter Vicarium Episcopalem; cum succedat in ordinariâ jurisdictione Episcopali.

Questio 506. An Capitulum sede vacante dare possit licentiam novitiis, ut disponant de bonis temporalibus?

R Esp. Potest Capitulum sede vacante dare licentiam, ut novitii intra duos menses ante professionem disponant de temporalibus suis bonis juxta Trident. *sess. 25. de regular. c. 16.* potest enim id Episcopus jure ordinariâ; Capitulum autem succedit in omnem jurisdictionem ordinariâ Episcopi. Barbol. *juris eccles. l. 1. c. 32. n. 90.* citans Sanchez. in *Decalog. tom. 2. l. 7. c. 5. n. 68.* Item Dian. p. 8. tr. 4. *resolut. 53.*

Questio 507. An Capitulum sede vacante dare possit licentiam clericis beneficiatis transeundi ad aliam diocesim. v. g. dum eligerentur ad dignitatem, vel obtinerent beneficium alterius diocesis?

R Esp. Non convenire AA. nam primò negativam tenet Fagu. in *c. bis quæ, de major. & obed. n. 59.* ubi: licentiam transeundi ad aliam ecclesiam Capitulum clerico impertiri non potest sede vacante. citat pro